Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 879
Quelle:
Copyright:

in edit. vero *Zeineriana* ipsi Narrationi inseritur. Cetera confer *Cod. supracit.*

V. *fol.* 54. p. 2. *Super illo verbo misse in Canone. Ipsis domine et omnibus in christo quiescentibus &c. Notauit frater Albertus theutonicus de ordine fratrum predicatorum quondam Ratisponensis Episcopus de mortuis in hec uerba.* Excerptum tractans 1) quibus prosint Ecclesiae Suffragia, 2) an etiam damnatis, quo loco refert sententias *Cantoris Parisien. Stephani Cantuar.* et *Guilelmi Autisiodor.* de mitigatione poenae Damnatorum, quas ait ab Theologis nostris temporibus in doctrina florentibus abhorreri; ipse autem putat ratione catholica tenendum: *Si damnatus causa fuit, ut bonum fieret per alios, tocies decrescere vermem, quocies bonum illud multiplicatur.* 3) quaenam Suffragia illa sint.

VI. *fol.* 55. p. 2. Rubricae II. Prior: *Qualis esse debeat Confessio.* Exponuntur 6. Verficuli:

Sit simplex humilis Confessio pura fidelis
Vera frequens nuda discreta libens verecunda &c.

Altera: *Ad quid valeat confessio facta proprio sacerdoti.* Quinque emolumentis subjiciuntur quatuor Exempla, et demum, *qualis debeat esse Confessor*, 2. verficulis comprehenditur.

VII. *fol.* 57. sequuntur Adumbrationes IV. Sermonum: *De S. Michaele. Luce Evangeliste. Symonis et Jude. Omnium sanctorum.*

VIII. *fol.* 58. *Incipit Encheridion Sancti Augustini episcopi Ad laurencium primicerium.* Praemissi Verficuli quasi Autoris:

Hec mea laurenti compingas carmina menti
Hic liber est talis tam paruus tam manualis
Ponderis est miri quo debes ipse poliri
Ornatus varios pandit per mille meandros
His eris armatus si cesset mente reatus.

Et alii quidam imprecatorii in Fures. Textus, qui incipit: *Dici non potest dilectissime fili laurenti* &c. habuit Αντιγραφον satis castigatum. Contentus cum edit. *Maur.* T. VI. *col.* 195. non nisi leviora haec offert: C. 2. *in sermone breui colligi* pro *in sermonem colligi brevem.* C. 4. *Hec omnia cum requires* pro *Haec omnia quae requiris. His qui contradicunt — sunt* pro *His qui contradicit — est. Eis sine dubio* pro *eis sine ulla dubitatione* &c.

IX. *fol.* 72. *Incipit prologus sancti ysidori in libro testimoniorum contra Judeos.* Alias *de Nativitate Domini, passione, resurrectione, regno et judicio.* Dirigitur ad

Flo-